DE VARICOCELE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE XXVII. M. APRILIS A. MDCCCXXXVII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ADOLPHUS STRAUBE
STENDALIENSIS.

OPPONENTIBUS:
J. KRONHEIM, MED. ET CHIR. DD.
E. LIEBICH, MED. ET CHIR. DD.
F. HEIDLOFF, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI OPTIMO

J. C. STRAUBE,

VERBI DIVINI MINISTRO

AD CINERES COLENDO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

MORBI DEFINITIO ET SEDES.

Dilatatio venae, vel alicujus venae partis, diametrum normalem excedens, quam laxitas sequitur, varix, s. cirsus (graece κιρσός) vocatur.

Nomine herniae, s. celes (graece κήλη) a pathologis mutatio ea designatur, cum ex proprio suo situ intestina moventur, ita quidem, ut, tegumentis integris, per aperturam, vel dilatatam modo, vel recens ortam, alienum in locum transeant. Hujus herniae varia discernuntur genera. Nam si partes, quibus in abdominis cavitate sedes est, inde ad scrotum descendunt, hernia oritur scrotalis. Veteres etiam alios scroti tumores, nihil cum descensu commune habentes, hernias, easque, ut a veris distinguerent, spurias nominaverunt. Inde varicoceles seu cirsoceles nomen emersit, quod licet non satis aptum et con-

gruens, pathologi tamen usum retinentes, nondum commutaverunt.

Varicocele s. Cirsocele igitur est permanens et normalem diametrum excedens, funiculi spermatici vel solius, vel et epididymidis et testis venarum dilatatio.

Sunt, qui, ut Pott et Bell, varicoceles voce solam venarum scroti superficialium, cirsoceles vero venarum funiculi spermatici, seu plexus pampiniformis, dilatationem significari malint. Celsus cirsoceles nomine utramque varicositatis speciem describit, quam alii varicoceles nomine complectuntur.

Quibus de horum verborum etymologia et significatione praemissis, obiter adnotatum velim, nos in hoc libello dilatationem venarum superficialium scroti prorsus esse omissuros, quippe quae nihil offerat, quod ab aliis varicositatum generibus differat, et pro symptomatico tantum morbo habenda sit.

Quodsi primum in sedem hujus morbi inquirimus, Richter*) demonstrare studet, cirsoceles tumorem non in venis funiculi spermatici locum habere, »nam falli credo illos, inquit, qui varicocelen pro tumore funiculi spermatici varicoso habent, sed persuasissi-

*) A. G. Richter nov. comment. Goetting. T. II. atque ejus observat. chirurg. fasc. II. p. 22.

mum mihi est, sedem morbi primariam exhibere epididymidem, cujus ductus, quibus constat, seminiferi adeo intumescunt, crassescunt, indurantur, ut fasciculum funiculorum referant.« Contra Murray *) veterum, varicoceles sedem in venis funiculi spermatici totiusque testiculi ponentium, sententiam defendit, quae quidem, ut Baillii et Soemmerringii suffragia tulit, ita quoque anatomicis disquisitionibus satis firmata et comprobata mihi videtur. Prae ceteris Morgagni **) venarum funiculi spermatici dilatationes inveniri, institutis cadaverum sectionibus manifestum reddidit. Morbus, de quo Richter disseruit, dubium non est, quin spermatocele sit, quae quidem irritatione, inflammatione et affluxu sanguinis varicositatem funiculi spermatici gignere potest; contra vero, ex varicocele spermatocelen ortam esse, equidem dubitaverim. Hos quidem morbos conjunctos saepe observari, jam Petit adnotavit: spermatocelen cirsocele ipsa frequentiorem esse, praeterea affirmans.

MORBI SYMPTOMATA ET DECURSUS.

Scroti ex varicocele laborantis colorem si spectamus, nihil reperitur, quo a naturali statu discre-

---

*) Dissert. de Cirsocele. Upsala 1784.

**) Traité de maladies chirurgicales. Tom. II. art. II.

pet. Nisi enim vel superficiales ejus venae dilatatae sunt, vel aliquis inflammationis gradus se prodit, rubor omnis ita abest, ut tantum scroti cute extensa coeruleus quidam venarum color pelluceat.

Forma lateris affecti, — raro enim in utraque scroti parte varicocelen invenimus — valde mutata propemodum cono, cujus apex versus annulum abdominalem spectat, basis scroti fundo adhaeret, similis est. Ambitus scroti magis auctus et testis lateris affecti pondere depressus suam scroti partem detrahit, ut altius altera descendat. Ex Richteri observationibus hic tumor pugni adeo magnitudinem superavit. — Digitis explorantibus funiculi spermatici tumor offertur, modo major, modo minor, ex funibus numero incertis, modo rectis, modo curvatis, varie contortis et complicatis compositus. Omnes funes sursum tendentes, inaequales, crassiores alii, alii tenuiores, magnitudine pennam corvinam nunc adaequant, nunc superant; convoluti digitis rotari possunt et fasciculo quasi lumbricorum convolutorum, apici tamen digiti introitum per se concedentium, similes sunt. Testis, quo tempore venae sanguine tument, ambitus amplior est. Varicositate autem ad summum gradum evecta, testis plane fere deficere,

et cum plures illa per annos duraverit, in venas omnino videtur abiisse commutatus.

Venarum varicosarum plerumque consistentia satis dura et firma est, ita tamen, ut pressione aliquamdiu continuata, funis complanetur et explicetur. Qui si infra, prope ipsum testem, comprimitur, totus sensim tumor diminuitur, si vero supra, ad inguen, non remanet modo, sed extenditur etiam et augetur.

Aegrotans ipse, jam ante intumescentiam exortam, rarissime enim cirsocele subito et improviso irruit, singulari modo totum corpus affectum esse, queritur. Pondus molestum in scroto, singularis stupor femoris, ad genu usque extensus, dolores colici etc. mali adventum nuntiant. — Varia huic morbo adjunguntur incommoda. Dolores prementes, tensionis modo majoris sensum proferentes, modo minoris, a teste ordientes et funiculi spermatici cursum sequentes, regionem iliacam petunt; deorsum ad internam cruris partem, ad genu usque, pergunt. Testis pondere suo aegrotum infestat. Intumescentia aucta, dolores crebrescunt exacerbati. Cum doloribus localibus animi affectio, universa aegrotatio, anxietas, vertigo, languor, nausea, dyspepsia, imo febris, saepius conjuncta sunt. Diutius stando et ambulando, tussi, obstructione alvi, abdomine post

coenam inflato, dilatatio venarum et dolores crescunt, mitigantur autem, tum scroto suspenso, tum aegroto situm supinum eligente. Dolorum acerbitate et constantia etiam altera scroti pars per consensum intumescit.

Plerumque morbus magis in dies crescit, praesertim si aegrotus vel causas eum alentes non satis circumspecte arcet, vel medicina contra morbum praescripta negligenter utitur. Intumescentia et dolores adeo ingravescunt, ut aeger vix, certe non sine doloribus, stare vel ambulare queat. Varicocele extremum extensionis gradum nacta, omnibusque venis iisque in utroque latere aequo modo dilatatis, impedito sanguinis circuitu, atque compressione vasorum lymphaticorum totum scrotum oedemate tumescit. Interdum varicum, si negliguntur, oritur inflammatio. Multum enim stando et ambulando, pressione, vestimentorum tritione, et si quae sunt hujus generis alia, irritantur. Dolor inflammationis valde ardens est, calor magnus, rubor roseus, comitante semper febri. Inflammationis exitus raro est in resolutionem, saepius induratio et intumescentia tunicarum venarum sequuntur, interdum concretiones filamentosae, in sanguine stagnante conformatae, cum venarum tunicis ad funem durum organice se con-

jungunt. Varicibus plus semel inflammatis, non modo venae, sed etiam tela cellulosa, quae illas circumdat, indurescunt. Periculosissimus inflammationis venarum exitus est suppuratio; rubor roseus fit lividus, et quo longius latiusque inflammatio se extendit, eo certius mors ipsa minatur. Ruptura venarum varicoceles rarissime observatur. In libro tamen, qui inscriptus est »Notizen aus dem Gebiete der Natur- und Heilkunde von v. Froriep. 1836« exemplum rupturae varicis funiculi spermatici narratur, ubi cauterio opprimeretur haemorrhagia, necesse erat. Quo propius malum ad testem progreditur, eo magis vasis capillaribus potitur formamque telangiectasiae praebet. Omnimodo, si venarum varicositas in testem ipsum penetrat, tumor oritur, qui tunicam albugineam in apertura, quam vasa sanguifera testis permeant, extendit, ita, ut crescente tumore et amplificata apertura, tunica albuginea a teste paullatim retrahatur, atque vacua collapsaque inveniatur. Ita fit, ut testis involucro proprio privatus, magis ad morbosam metamorphosin rapiatur, donec tandem telangiectasia crescente nullus jam testis, nihil omnino praeter varicositates, tactui sese offerat. Neque tamen in omnibus hujus morbi casibus eadem symptomata et decursus observantur. Eademque est graduum varico-

celes diversitas. Interdum enim varicocele in minimo evolutionis gradu subsistit, neque multas et novas semper molestias affert. Multi enim hoc malo tenentur, ne suspicantes quidem, se funiculi spermatici morbo laborare. Apud alios, quod de varicibus in universum valet, per periodos, ut ita dicam, varicocele crescens magis turgescit atque extenditur, tempore vero intercalari aegrotantis funiculi spermatici indicium nullum exstat. Tunc plerumque hoc malum sine ullis fere doloribus et molestiis per totam vitam perdurat. Ad cavum abdominis auctoribus Benedict et Wutzer nunquam varicocele adscendit, quod tamen multi alii saepius observarunt.

AETIOLOGIA.

Causa varicoceles proxima est disproportio inter sanguinis affluxum et extensionem, atque venarum resistentiam et irritabilitatem, illis nimirum praevalentibus. Vis contractilis venarum ad superandam et propellendam sanguinis molem deficit. Quamobrem, quaecunque vires venarum funiculi spermatici testisque debilitare, aut stasin sanguinis augere valent, causis remotioribus adnumeranda sunt. Praeterea causae, quae dicuntur, praedisponentes partim ex constitutione et affectarum partium situ, partim ex

debilitate et laxitate totius corporis, venarum imprimis spermaticarum, repetendae sunt. Venae ex tunicis, quae propter structuram suam cellulosam et ob tenuitatem, debitae resistentiae impares sunt, majoremque extensionis gradum admittunt, componuntur. Cum vis contractiva venarum in universum mediocris sit, venae, quae ob situm multo sanguine implentur, ut omnes venae infra cor positae, imprimis venae pedum, abdominis, funiculi spermatici, et eae, quae longae et tenues sunt, e. g. vena spermatica, facilius extenduntur.

Omnium harum venarum dispositio ad ectasias morbis, vitalitatem systematis reproductivi omnino deprimentibus, ut cachexiis et dyscrasiis, imprimisque in venarum organisationem vim habentibus, augetur. Non minus diaetetica vitia et perversa vivendi ratio magnam hac parte vim exserunt. Ex hoc genere sunt spirituosorum, coffeae et cerevisiae abusus, ciborum pinguium et aromaticorum usus, habitatio in regionibus et locis calidioribus, abusus balneorum calidiorum, somnus nimius, tristes deprimentesque animi affectus, prae ceteris amoris incitamenta. Media aetas ad phlebectasias maxime propensa est. Viri juvenes, robusti et firmae sanitatis, post evolutionem pubertatis, inter annum vicesimum et tricesimum

varicocele facillime corripiuntur. Homines autem constitutione atrabilari praeditos ea demum aetate, qua abdomen focum morborum sistit, post annum tricesimum, varicocele tentat. In infantibus hoc malum rarissime invenitur. Causae occasionales sunt numerosissimae. Omnes morbi et hepatis et pulmonum qui permeanti sanguini impedimento sunt, segnioremque sanguinis in abdomine circuitum efficiunt, ansam varicoceles praebent. Richter eam post suppressa haemorrhoidum molimina ortam observavit. Praeterea huic causarum generi omnia sunt adnumeranda, quae sanguinis congestione saepe repetita sensim venarum laxitatem inducunt. Arteriae enim majorem sanguinis copiam, quam quae a venis reduci queat, advehunt, qua re sanguine haesitante et pressione ejus diutius persistente, vis contractiva venarum sensim diminuitur, et dilatatio earum remanet. Propter haec onania vel maxime accusanda est, qua partes genitales, antequam ad necessariam firmitatem pervenerint, praemature irritantur. Coitus, ubi per corporis robur et aetatem conceditur, etiamsi modum excedit, in hujus mali causis rarissime habendus est. Majoris autem momenti atque frequentissimae varicoceles causae, sunt libidines saepe repetitae, et irritata, minime vero expleta, cum femina coeundi cupiditas. —

Vitam agentes sedentariam, studiis impensius dediti, somno plus aequo indulgentes, omnino omnes causis haemorrhoidum obnoxii, saepe, cum talis vivendi ratio non solum sanguinis stagnationem et spissitudinem afferat, sed solidarum etiam partium firmitatem infringat, hoc malo occupantur. Vestimenta vero, fascias herniales constringentes, varios abdominis tumores accusandos esse, facile est intellectu. Imprimis autem sinistra vena spermatica propter flexuram coli sigmoideam, ubi multa coacervantur excrementa, perpetua pressione male habetur. Neque vero haec sola causa putanda est, quod varicocele in sinistro scroti latere saepius quam in dextro observatur, sed accedit, quod sanguis in vena spermatica sinistra facilius subsistit, lentiusque ascendit, quam in dextra, cum non solum longior quam dextra sit, testis enim sinister altius demittitur, quod jam veteribus innotuit, et, ut a Winkelmanno observatum est, in statuis antiquis conspici potest, sed etiam, cum sinistra plerumque in venam renalem transeat, in qua sanguinis cursus subjectae aortae pulsatione magnopere retardatur. Alii quoque scroti morbi, hydrocele, sarcocele, spermatocele et herniae verae frequentissime pressione mechanica venas turgidas reddunt ansamque varicoceles praebent.

MORBI HUJUS DIAGNOSIS A SIMILIBUS.

Varicocele epiplocelae tam similis est, ut facile cum illa confundi possit. Quantopere autem necessarium sit, ut utriusque discrimina accurate teneamus, maxime sane ex incommodis gravissimis intelligitur, quae oriuntur, si quis laboranti ex varicocele, tanquam epiplocele is laboret, brachierium applicuerit.— Varicocele adhuc recens, quamquam, si aegrotus tussit, pedibus insistit, aërem inspiratum retinet, aut intestina flatibus extensa habet, increscit, cum epiplocele non facile confunditur, quod venae dilatatae sicut lumbrici inter se convoluti, manifesto reperiuntur. Sed varicocele aucta et jam inveterata, tela cellulosa, vasis funiculi spermatici, epididymidis et testis interposita, tandem ita intumescit, ut tumor massam mollem, inaequalem, pulticularem exhibeat, quae epiplocelae simillima est. Morbo valde accrescente, tumor usque ad annulum abdominalem adscendit eumque dilatat, ut tumor non solum ex annulo abdominali propendere videatur, sed etiam per eum in cavum abdominis reponi possit. Qui casus ambigui exigunt, ut ex universo morbi decursu de vera tumoris natura notitiam conquiramus. Varicocele enim non nisi tempore procedente et oritur et crescit, atque

primo tumor in inferiori scroti parte apparet, postea propius ad inguen, adscendit. Testis in varicocele saepe collabitur tandemque plane evanescit, aegrotus vero epiplocele affectus semper sanum habet testem et naturalis magnitudinis non expertem.

Praeterea experimenta a Cooper commendata certiorem nos in his morbis cognoscendis et distinguendis viam commonstrant: aegroto enim in situm supinum redacto, tumor in cavum abdominis per annulum abdominalem reponitur et compressione sic retinetur, ut sanguis quidem circumire, sed hernia progredi non possit. Si morbus vere est varicocele, tumor mox redibit, sin autem epiplocele, pressione durante tumori non erit locus. — Praeter epiplocelen spermatocele etiam cum varicocele saepius confunditur, quamquam, si hunc morbum inde a primordiis diligenter observamus, non est, quod in diagnosi constituenda nos decipiat. Spermatocele enim et cito subitoque et semper ex epididymide oritur, varicocele contra primum venas funiculi spermatici corripit. Tumor, quem spermatocele offert, est inaequalis, nodosus, granosus, durus et firmus, ex quo unus tantum funis, crassitie pennam anserinam aequans, ascendit. — Quae supra de complicatione utriusque morbi diximus, hic repetantur, necesse non est.

PROGNOSIS.

Ex aegrotantium numero alii nesciunt quidem, funiculum spermaticum morbo affectum esse, alii temporibus, quibus molestiae, si morbus typum certum sequitur, intermittunt, magna sanitatis spe in futurum eriguntur, quae tamen spes et propter remanentem morbum, negotiis curandis inimicum, et, quod duo maxime mala adjungi solent, plerumque fallitur. Nam hernia inguinalis et functio testis laesa varicocelen interdum sequuntur. Venarum dilatatarum fasciculo intrante necesse est, annulus abdominalis extendatur; cum vero ambitus tumoris varicoceles modo crescat, modo decrescat, non pari semper modo et ita expletur, ut intestinorum prolapsus tuto prohibeatur. — Ipsius testis functione impedita, et si utriusque funiculi spermatici venarum dilatatio adest, generandi facultatem quoque exstingui, ex destructa testis fabrica, de qua supra dictum est, facile intelligitur. Dummodo autem una tantum, vel minima, testis pars supersit, semen secerni et ductu deferente emitti potest.

CURATIO.

Methodi varicocelae medendi aut indirectae

sunt, ad molestias tantum mitigandas, morbique incrementum prohibendum, aut radicales, ut aditus sanguini ad venas dilatatas praecludatur, eoque modo illis casibus in sempiternum occurratur, qui ex nimia sanguinis in venis accumulatione ortum ducunt. Quantumvis curatio radicalis palliativae praestet, tamen non satis semper interest aegrotantis, ut radicalem curationem subeat. Non raro enim fit, ut inducta varicocele, quod omnino in varicibus locum habet, natura beneficio suo gravioribus, quam ipsa varicocele est, incommodis occurrere studeat. Multi se experientia edoctos dicunt, varicocelen aliis morbis crisis vices exhibuisse. G r o s s h e i m e. g. palpitationem cordis varicocele exorta fugatam observavit.

Talis varicocele instar salutaris et necessarii mali curanda, et de ea removenda non prius cogitandum est, quam ipsa primitivi morbi causa sublata sit. —

Curatio varicoceles palliativa, seu indirecta causas in aetiologia commemoratas impugnat.

Cum toto vitae genere, ad diaetetica praecepta circumspecte adaptato, et omnium rerum, quae sanguinem ad partes genitales congerere solent, evitatione — unde scilicet omnis sanitatis restitutio ve

maxime pendet, — remedia resolventia jungenda sunt, quae circuitum sanguinis per abdomen expeditiorem reddunt. Cum, hisce remediis stagnatione sanguinis sublata, ob majorem venarum tunicarum laxitatem dilatationes tantum venarum supersunt, varicocele pro aliorum morborum residuo vitioque locali habenda, atque secundum haec curanda est.— Tunc prosper curationis directae, ejusque, ubi opus erit, cum universali conjunctae, eventus sperari potest.

Ut naturale venarum lumen, quod ex sola tunicarum dilatatarum laxitate pendet, restituatur, cum fructu saepius utimur: 1) remediis adstringentibus, ut aq. frigida, aq. saturnina, solutione aluminis, decocto quercus, salicis etc. 2) remediis irritantibus, ut lotionibus spirituosis, fomentis e vino paratis, cum tinct. myrrhae conjunctis, vesicantibus, ducibus Hodgson, Brodie, Cooper.

Plerumque tamen radicalis varicoceles sanatio sola operatione perfici potest.

Certissimae ad hanc operationem indicationes prostare mihi videntur:

1) Si varicocele cum hernia vera complicata est. Haec enim fasciam hernialem necessario requirit, quam illa respuit.

2) Si tumore omnes aegrotantis occupationes et officia praepediuntur, doloresque, quos malum gignit, ferri non possunt.

3) Si venae sanguine coagulato adeo impletae sunt, ut putrescentia et ulcera timenda sint.

4) Si ad voricocelen alii etiam scroti morbi accedunt, quibus non nisi operatione mederi possis.

Omnes varicoceles operationes, quae nostro tempore adhuc in usu sunt, venae aegrotae inflammationem efficere moliuntur, ut, ortis exsudationibus lymphaticis, venae parietes committantur et inter se concrescant. — Haec res exigit, ut primum ligaturae mentionem faciamus, de qua, jam a Celso descripta postea Paulus, Fabricius ab Aq., Heister et alii diligenter disseruerunt. Postea, cum medici sequelas inflammationis venarum gravissimas accuratius cognovissent, nimio timore et praejudicata opinione deterriti sunt, quominus ligaturam, aut quicquid esset operationis, admitterent. Nihilominus tamen eam commendant Home, Ch. Bell, Delpech, Wutzer.

Delpech hoc modo ligaturam applicuit*).

---

*) v. Graefe's und v. Walther's Journal. Bd. XVII. pag. 329.

Aegrotus in mensa aut lecto, ad operationem, ut fieri solet, adaptatis, trunco parum inclinato, ita locatur, ut aliquantum sedeat, cruribus divergentibus, genubus paullulum flexis et ad abdomen adtractis. Tum Delpech in superiore tumoris parte prope annulum abdominalem plicam cutis format, perpendicularem axi annuli abdominalis, incidit eam, et vulnus latitudinis duorum digitorum efficit, quod axi funiculi spermatici parallelum currit. Deinde cremasterem cultro convexo incidens, funiculum spermaticum nudat, alteram venam dilatatam post alteram elevat, unaque ab altera separata, et unicuique crassi et mollis boleti igniarii particula supposita, venam una cum boleto ligatura simplici circumdat. Postea hac ligatura ita contracta, ut venarum parietes committantur, et perfluens sanguis sistatur, scrotum intumescat, et funes, quos vasa varicosa sub tegumentis formaverunt, clarius appareant. Methodo antiphlogistica contra inflammationem aptata et cum diaeta parca conjuncta, die tertio ligatura aufertur. In casibus autem a Wutzer observatis ligatura inter diem septimum et septimum decimum post institutam operationem sua sponte solvebatur. Die vicesimo vulnera scroti, volumine paene normali, cicatricem induxerunt. Funiculus spermaticus in media parte

cylindri duri, qui ad fundum scroti porrigitur, formam praebet. Die post operationem quadragesimo aegrotus, omni ex parte restitutus, normali testiculo et ad omnes naturae functiones servato, dimissus est. Delpech in hac operandi methodo, supposito boleto igniario et ligatura, talem modo pressionem adhiberi jussit, quae sufficeret, ut parietes venarum perpetuo sese tangerent, sanguinis circulatio sisteretur, et inflammatione adhaesiva hoc modo inducta, parietes venarum inter se concrescerent.

Wutzer tribus ligaturis utitur. Non nisi majores venae prope testem separantur, et acu curvata, cujus obtusa pars filum subter venam deducit, unaquaque vena singulatim substringitur. Si forte una aut altera vena, quae ex tenui tantum tunica constat, laedatur, et ipsam substringi necesse est. Fomentis frigidis, venaesectione, remediis antiphlogisticis et purgantibus inflammationi acriori, et nimis diffusae occurrendum est, ut febris gastrica inflammatoria, quae non temere metuitur, depellatur.

Bell unam tantum venam ligat, affirmans, inflammationem necessariam ad ceteras quoque venas produci, ut concrescant, aut contractiva earum vis normalis restituatur.

Frickii methodus non novissima tantum est,

sed per se etiam dignissima, quae ceteris omnibus, quae adhuc innotuerunt, methodis anteferatur; ut quae non solum simplicitatis commendationem habeat, neque graviorem vulnerationem afferat, sed etiam, quod ex institutis hucusque experimentis colligere licet, certo non destituatur eventu.

Manu sinistra scrotum ita comprimitur, ut inter digitos venae dilatatae firmiter contineantur. Per singulas venas acus, filum oleo madefactum ducens, anteriore parte tumoris transfigitur et posteriore parte iterum extrahitur. Fili traducti talis longitudo manet, ut facile circa scrotum laqueo connecti possit. Si varicocele exigua tantum est, unum filum sufficit, sin inveterata et major, duo vel tria trajiciantur, necesse est. Filis emplastri adhaesivi ope adstrictis, fomenta frigida adhibentur, quibus inflammatio proxime a punctionis loco coerceatur. Post viginti et quatuor horas in punctionis loco tumor funiculi spermatici inflammatus invenitur, qui digiti pressioni resistens, circumscriptus, ovalis et satis sensilis est. Jam tempus est, quo ratio, fili extrahi jubet. Inflammatio diminuitur, ut fomentis resolventibus adhibitis post quatuor vel quinque dies tumor sine dolore remaneat. Luminibus venarum coalitis, malum sublatum est. Postea interdum exigua suppuratio se

ostendit, et abscessus parvus formatur quem aperiri oportet. *).

Nuperrime Parisiis etiam medicos hac operationis methodo usos esse, legi, ita tamen, ut jam post septem vel duodecim horas fila extrahant, ut vehementiorem inflammationem vitent. Operationum, hoc modo institutarum, prosperrimum eventum praedicant.

Alia methodus, et ipsa nova, Breschet habet auctorem. — In litteris ad de Graefe missis, quae in libro »v. Graefe u. v. Walthers Journ.« leguntur, commemorat Breschet vulsellam (pincette), qua varicocelen saepissime radicitus sese curasse dicit. Haud dubie vulsella comprimit venas, ut inflammatio adhaesiva, sicut in ceteris operationibus, oriatur. Praeter haec nescio equidem, num quis accuratius de nova hac methodo exposuerit, quod si factum est, me saltem fugit.

Alia methodus cernitur in ligatura arteriae spermaticae, qua sanguinis affluxum arcere student. Maunoir ejus usum ad sarcocelen curandam commendat, eademque postea Jameson *) et Amussat felici eventu in curanda varicocele usi sunt.

---

*) Medic. Zeit. v. Verein für Heilkunde in Preuss. 1834.
**) Chelius Handb. d. Chir. 3 Aufl. 1828. Th. I. p. 913.

Wutzer *) accuratius de ea disseruit et in ejus incommodis enumerandis multus fuit. Venae enim dilatatae arteriam ita circumvolvunt, ut non modo eam invenire maxime sit arduum, sed vix unquam etiam, ne vena laedatur, satis caveri possit. In plurimis casibus adhuc arteria spermatica secundaria observatur, quae ex superiore parte primariae, aut ex aorta, aut ex arteria renali originem ducit; praeterea semper testis ex arteria epigastrica ramum accipit, quam Hildebrandt a. spermaticam externam vocat. Non raro etiam art. spermatica multos ramos infra annulum abdominalem dimittit. Unde luculentissime patet, nec unius rami ligaturam sufficere, nec fieri posse, ut omnes rami simul substringantur. Impediri etiam nequit, quominus simul cum arteriis vas deferens et ambientes nervi ligentur. Quin etiam, si talis omnium arteriarum ligatura bene cesserit, dubitandum tamen non est, fore ut testis ipse contabescat. Quod unum incommodum per se, etiamsi ceterorum nulla ratio habeatur, ad dissuadendum hujus operationis usum procul dubio sufficit.

---

*) In der med. Zeit. v. Verein für Heilk. in Pr. 1834. IV. 8.

Sunt, qui exstirpationem funiculi spermatici proposuerint. — Celsus, ligatura et superne, in regione annuli abdominalis, et inferne, ad testem, applicata, funiculi spermatici partem, inter utramque ligaturam positam excidi jubet; quem medici eo usque secuti sunt, donec simplicem illam ligaturam sufficere, neque excisione opus esse, experientia docuisset. Imo nostro tempore nonnulli exstirpationi funiculi spermatici et testiculi, i. e. castrationi, quae medela certe malo ipso funestior est, favent. Quae quidem methodus a Celso descripta et in iis casibus ab eo commendata est: »ubi inter imam tunicam et ipsum testiculum nervumque ejus ramex ortus est«, quibus verbis innuit, eam adhibendam esse, cum testis ipse quasi in vasa dilatata dissolutus sit, ad generationem nihil valeat, et aegrotus molestissimo dolore excrucietur.

Jam, ut ipse quid sentiam, ingenue confitear, omnibus his methodis nos supersedere posse existimo, cum ad varicocelen feliciter curandam in ligatura ipsa et Frickii methodo satis praesidii nobis sit.

VITA.

Ego Adolphus Straube, fidei evangelicae addictus, Stendaliae, anno MDCCCXII, patre J. C. Straube, verbi divini ministro, matre Joanna de gente Fogliani, adhuc viventibus, natus sum.

Absoluto in gymnasio urbis patriae cursu scholastico, testimonium maturitatis adeptus, Berolinum anno MDCCCXXXIII. me contuli, et rectore magnifico Ill. Weiss die IV. m. Maji in civium academicorum numerum receptus, et ab Ill. Osann, t. t. decano ordini medicorum adscriptus sum.

Per duo semestria scholas philosophorum nec non medicorum frequentavi: Ill. Schultz de

encyclopaedia medica et botanice; Ill. Schlemm de osteologia et syndesmologia; Ill. ab Henning de logice; Ill. Mueller de anatomia corporis humani; Ill. Kranichfeld de hygieine; Ill. Steffens de anthropologia.

Anno MDCCCXXXIV. Bonnam me contuli ibique hos viros illustrissimos disserentes audivi: Ill. Meyer de physiologia et de anatomia comparata; Beat. a Muenchow de physice experimentali; Ill. Nasse de therapia generali.

Berolinum redux praelectionibus interfui Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Osann de materia medica; Ill. Hufeland de pathologia generali; Ill. Weiss de mineralogia; Ill. Lichtenstein de zoologia; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi; Ill. Hecker de pathologia et generali et speciali; Ill. Rust de chirurgia tam generali quam speciali; Cel. Froriep de akiurgia; Ill. Busch de arte obstetricia; Ill. Mueller et Ill. Schlemm duces mihi erant in cadaveribus rite seçandis.

Deinde per duo semestria interfui clinicis exercitationibus medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis virorum illustrissimorum atque experientissimorum Bartels, Wolff, Rust, de Graefe, Busch.

Quibus omnibus viris celeberrimis gratias ago quam maximas eorumque de me magna merita semper grato animo venerabor.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Si fieri potest keratotomia sursum vergens deorsum tendenti praeferenda est.
2. Sunt casus, in quibus perforationem foetus vivi instituere licet.
3. Amputationi penis ligatura praeferenda est.
4. Gangraena nosocomialis in sanandis ulceribus non raro subsidium praebet exoptatissimum.
5. In pueris educandis magis corpori conservando, quam animo excolendo inserviendum est.